

aliena inventa pro suis ementiri nequeant, aliis quoque hanc, quam inde consequuntur, gloriam detrahere non erubescunt; & hinc non immeritò ab *Henric. Salmuth. in Notis ad Panciroll. Tit. XII.* comparantur *Gryphis Indicis*, meretriculeque illi; quae nec sibi, nec collitiganti mulieri saluum volebat filium, *1. Reg. III.* Tertio quoque ad sententiarum varietatem multum contribuisset videtur *veritatis ipsius ignorantio.* Multos enim deceptos fuisse à rumore vulgaris famae, facile cum *Celeb. Bæclero* credimus, quorum error postmodum errorem traxit ulterius, qui cum progressu temporis radices in animis hominum egit, atque incrementa sumfit. Alias denique, praeter adductas, suppeditat causas modò laudatus *Dn. Bæclerus, loc. cit. p. 329.* rei nimirum *difficultatem*; quòd dubiae arduaeque fuerit investigationis: quodque aliis voluntas probandi, ut alieno loco; aliis tempus laboriosè conquirendi probationes, defuerit: quosdam vero argumentorum inopia aut desperatio ad alia praevirti jusserit. &c.

X. Consideratis itaque diffensus hujus causis, considerandae quoque nunc forent singulae *Scriptorum* sententiae, quos videlicet unaquaeque & quales habeat autores; quibus nitatur argumentis & rationibus, num firmis, an vero invalidis? quid circa illam ab aliis in contrarium proferatur, & quomodo à *Scriptoribus* majori fide dignis rejiciatur? & quae sunt alia, quibus probe examinatis vera elucescet facile sententia. Verùm cum id longe prolixioris sit ambitus, quam ut paucis his pagellis exponi possit, peculiari quodam instituto, si vitam viresque indulserit *DEUS*, talia haec declaranda dabimus. Hic verò brevissimis tantummodò quaedam de illis edifferamus; ut demum constet, quis verus fuerit inventor, quove loco ac tempore hoc inventum fuerit excogitatum.

XI. Prae-